Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1865

Quelle:
Copyright:



*ſienſis*, ut quidam voluere, ſed *Peraldi* ex O. P. ut e pluribus Mſs. et Editionibus evincunt Ordinis Bibliothecarii T. I. p. 133. Abrumpuntur haec Excerpta Sermonum potius, quam Sermones *fol.* 52. p. 2. in Themate: *Jerunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem. Jud.* IX. 8.

II. *fol.* 53. *Incipit ſpeculum glorioſe virginis Marie.* Ita quidem: *Quoniam vt ait beatus Jeronimus nulli dubium eſt quin totum ad laudem dei pertineat* &c. Jam alias hoc *Volumine* relatum, ut Index docet; hoc Bonaventurae Opuſculum.

III. *fol.* 89. Tractatus ſuccedit, qui in anteriore Codicis Theca notatur: *Sermo optimus de libro conſcientie.* Ejus initium eſt: *Spiritus ſanctus per Job. Librum ſcribas mihi ipſe qui iudicas. Rogemus dominum in principio &c. Hic poſſunt multa notari bona que ſequuntur. et primo quis ſit liber quem petit a domino. quia liber conſcientie. et petit job librum ut ſtudeat in ipſo ad modum boni ſcolaris. quia ſi ſcolaris uellet licentiari in aliqua facultate, libenter peteret librum, in quo crederet preſciri, que deberet examinari, ſi poſſet habere.* Ex hac ſimilitudine facile Scriptoris ignoti aevum conjicimus, qui, poſtquam de conditione *Libri Conſcientiae* egit, pertractat, *vbi debeat legi*, mox, *quomodo debeat audiri.* At vero hic abrumpitur Codex et Opuſculum, quod methodum de peccatis rite confitendi tradit.

DCCLXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 127. f. per duas columnas charactere craſſo, atro perſcriptus, rubricis enotatus, et quondam *monaſterij ſancte Dorothee in vienna* complectitur *Sermones de Tempore* a Die Paſchatis uſque ad Dominicam XXIV. poſt Pentec. hoc initio: *Alleluia. Dicit G. Qui ad uere predicationis uerba ſe preparat, neceſſe eſt, ut eorum originem a ſacris paginis ſumat* &c. Ad calcem: *Expliciunt ſermones. Conteſtor omnes hos ſermones predicantes per uirtutem domini noſtri ihesu, ut finitis ſingulis ſermonibus auditorum me orationibus recommendent tacito tamen nomine, quatenus negligentie huius occaſione contracte eorum orationibus interuenientibus a deo mihi miſericorditer relaxentur.* Tum Librarius: *Opere finito promatur gloria chriſto. Explicit opus. De tempore*, et ſuper fundum raſum: *fratris Johannis Socci ordinis beati benedicti.* Iſtud quidem contra primarum Editionum ἄτοπων, et *Daventrienſ.* 1480. *Argentinenſisque* 1484. fidem, quae magno conſenſu Autorem *Ciſtercienſem* faciunt, et quidem incolam Coenobii *Marienraid* prope *Hildenſem*, contradicente *Joh. Tritbemio*, qui eum Monaſterio *Fontis Salutis* (Heilbrun) dat, et *Conradum* adpellat in *Script. germ. illuſtr.* Nominis *Socci*, vel *Succi* ibidem rationem dat, e quo *Soccium* fecit *Car. Viſchius* in *Biblioth. Ciſt.* Nihil definio, illud obſervare contentus,